

heatem matrimonii non teneri vere contrahere : non secuto alio damno notabili, quod praeponderat. Et ibi nam. 26. factis rationibus contrariae ex aliis contractibus petita. Ea damna quae ex hac professione irrita subsequantur, non praeponderant coactioni ad professionem, ut supra. explicuimus.

40 Nec moraliter loquendo tenebitur hic fidei professus, aut quocumque modo sit ea irrita, admonere superiorem se non esse verum professum, quando audiri in foro externo nequit: Quod frustranea sit admonitio. Cum vix inveniatur praelatus, qui occulte, & sine scandalo possit ac velit copiam fugiendi illi concedere, propter detrimentum, quod ipsi praelato redundabit, non adhibenti debitam diligentiam in quaerendo eo religioso fugienti, ac revocando ad religionem. Adde vix posse eventum casum, in quo praelatus ei possit idem habere, ut illum tuta conscientia dimittere possit, juxta n. 14. dicta. At si probabilissima spes esset, fore ut admonitio prodesset ei effectui; & aliunde non suppeteret remedium, teneretur utique.

41 Ex his deducitur I. teneri hunc invalide professum aut professionem ratificare, aut oblata commoda fugiendi occasione in partes remotas decedere, ubi sine scandalo vivere possit: & teneri eam occasione summa ope niti. Quia sola necessitas ipsam excusat, quae cessat eo non fugiente, cum commode possit, nec sollicito ad opportunitatem quaerendam.

42 Secundo deducitur, quamvis qui vere professus non est, nec ratificari vult professionem, peccet alimenta monasterii recipiens: ut bene docet Navar. l. 3. conf. 1. de regul. conf. 3. n. 13. in prioribus edit. at in posterior. conf. 26. n. 13. & comm. 4. de regul. 74. S. Advertendum quarto, ubi bene addit teneri etiam ad retinenda alimenta, nisi adaequantur obsequiis, quae religioni exhibent: atque similiter peccat fugiendi ferens, alioque profertorem adus exercens: ut docent Neov. utroque loco proximo. allegato. Angles Florib. 2. p. ubi de voto, quoniam art. 1. diff. 4. Manuel. 2. sum. c. 92. concl. 5. n. 5. & dicitur hic duo esse peccatum mort. suffragia hunc ferre: non peccare tamen, dum alimenta suscipit animo retinendi valorem illorum, quae de tracta mercede, suis obsequiis debita, superflua, cum retinendo fuerit; & suffragia ferendo, admittendoque praetaram religionis, dum non potest vitare absque scandalo & nota, animo fugiendi habita opportunitate. Quae constant ex dictis, n. 38. ubi ea probavi. Non tamen poterit petere a praelato religionis irrationem, aut dispensationem votorum, aut privilegia religionis firi. Quia nec est religiosus, nec ille est suus praelatus. Nec similiter poterit absolvi a reservatis Episc. aut Pontif. nisi eo modo quo possit absolvi quicumque saecularis a religio illius religionis, qui fatetur: nec ille qui solam praelati religionis licentiam habeat ad audiendas confessiones, potest illi fateri, sed occulte fateatur religioso aut saeculari sacerdoti approbato ab Episc. Et potest vitare scandalum petita licentia a superiore religionis ad fatendum alii: vel fingendo se fateri illi Confessario pro ipsum solum exposito, & declarando ei sub confessionis sigillo se non posse ab illo absolvi, eo quod verus religiosus non sit.

Tertio deducitur, quamvis hic peccet lethaliter, si non ratificata professione, facris initiatur: ut bene docet Navar. comment. 4. de regul. n. 72. S. Non obstat regula, & l. 1. conf. 1. de his que vis, in 1. edit. conf. ult. fin. in 2. conf. 6. fin. tum quia sine patrimonio, titulo professionis irrita initiatur: tum etiam, quia litteris dimissorias legitimi praelati caret: aut non peccare, nec censuram aliquam ipsum incurrere si non possit abque magna nota sacrorum ordinum susceptionem vitare. Ut ei tempore professionis transacto, quo solent alii professi ad ordines ascendere, jubere praelatus ut ipse suscipere: & tentatis omnibus mediis non possit gravem sui infamiam vitare, eos non recipiendo. Quia licet praelatus infamiam sub confessionis sigillo monuerit se non esse verum professum, illi fidem non habet, in flatuque ut ordines assumat: vel non vitatur nota & infamia apud reliquos religiosos: nec potest tunc commode fugam arripere. Cum enim ceteri religiosi, & externi, ipsum tempore ordinibus suscipiendis praescripto, juxta suam religionis morem, non initiari vident, & singularem esse in hoc, suspicabantur aliquid grave ipsius nefas. Quod si ab Episcopo proprio velit petere litteras dimissorias, quae per se vel interpolatam personam, detecta ea veritate nullas Episcopus eas concedere poterit absque patrimonio, aut legitima professione: hic autem utroque destitutus est. Praeterea, meritissime concipiet de eo religioso finitram opinionem: & nullus Episcopus tam mentis inops erit, qui rem adeo arduam & difficilem, totque conscientiae angustias implicatam, ne manifeste iniquam dicam, in se suscipere velit; in his ergo angustibus confitetur poterit absque metu culpa & censura ordines recipere. Ducor, quod cum lex interdixit ordines sacros suscipi absque patrimonio, & litteris dimissorias, mere humana sit, praeponderat illi lex divina naturalis de cavendo scandalo, ac propriae famae consulendo. Sicut n. 38. dicebamus, posse irregularem & excommunicatum occulto celebrare, ut suae famae consulat, quando absque illius iudicio non possunt abstinere se a sacro faciendo. Et quamvis huius unicum superest remedium, quo & notam propriam, & indignam ordinum susceptionem caveat, amirum, professionem ratificarem: at cum jure religionis tam onerosum sit is qui non sua sponte illud sibi imponunt, non est adstringendus ad rem

tam gravem & suae libertati contrariam, quod illegitimae susceptionis ordinum incommodum vitet, sed ratione vitandae infamiae praedictae excusabitur ab ea culpa.

Ad arg. n. 37. proposita constat ex dictis n. 42. & 43. ubi 44 diximus excusari illum ab ea culpa susceptionis alimentorum & ordinum, & suffragii praestandi, quando ea non potest absque nota vitare, nec tunc fugere potest.

S U M M A R I U M.

Quando novitiatus habetur ab invalide professo fuit validus, non est opus ejus iteratione, ut rata habeatur prior illa professio, n. 45.

Quid quando fuit irritus? Refertur quaedam sententia, 46. Proponitur sententia Auditoris, 47.

Quid, si publica esset inhabilitas illius professi, & professio nis nullitas, 48.

Si professio fuit nulla ratione defectus aetatis, non est repetendus novitiatus. Et quae aetate sit implendus novitiatus, ut sit validus, 49.

Nec est iterandus, quando professio fuit irrita, eo quod facta sit non impleto novitiatus anno, n. 50.

Quid, si ratione metus nulla sit professio, 51.

Quid, si sit nulla ratione inhabilitatis perpetua professio, 52. An qui tacito morbo profertur, quo deinde nullatenus admittetur peccet & sit valide professus, & possit expelli, 53.

An professio sit nulla, eo quod major sexdecim annis professus sit non praemis informatione praescripta a Sixto V. si post factam informationem repetendus novitiatus? an potius ille non irritatus sit a Sixto V. 54.

Quid, si illegitimi admitti sint non praemis informatione, an novitiatus sit irritus & iterandus, 55.

Quid, si professio fuerit nulla ratione defectus consensus ipsius profertentis, & admitti ad novitiatum, qui fignus fuit: & an admitti ad novitiatum requiratur consensus novitii & religionis, 56.

Traditur norma iterandi novitiatus absque nota, casu quo necessario iterandus esset, 57.

Solvuntur argumenta, 58.

Post num. 58. irroveries alia summaria.

Questio VI. An volens hic religiosus professionem a se in 45 valide factam ratam habere indiget iterandi novitiatus anno iterato? Et cum professio possit multis ex causis irrita esse, nimirum, ex defectu aetatis, aut non praemis integri novitiatus anni, aut ratione metus, aut inhabilitatis perpetuae aut temporalis ad professionem, eo omittam informationem praemittendam, juxta motus proprios Sixti V. & Gregor. XIV. quorum meminimus n. 30. Et tandem defectu consensus profertenti. Id tanquam certum est praemittendum, quoties novitiatus fuit validus, nulla ipsius iteratione opus est ad professionem irritam ratam habendam. Quippe Trid. sess. 25. c. 15. de regul. solum decernit ad professionis valorem esse praemittendum integrum novitiatus annum. Quod verificatur, quoties novitiatus annus, professio praemis, fuit validus. Idque confirmat ex DD. allegandis n. 47. & seqq.

Major autem difficultas est, quando novitiatus fuit irritus, qua in re duplex est sententia. Prior sustinet novitiatum iterandum esse. Dicitur, quia quod nullum in se est nullum juris effectum operari potest: & cum semel irritus fuerit, & ad praeteritum non sit potentia, non potest postmodum effici, ut praecedens novitiatus valeret ad eam effectum, ut vere dicitur praemis professioni denovo facienda, quod ad ipsius valorem petit Trident. sess. 25. de regul. cap. 15. Secundo, quia etsi in hoc eventu cesset finis Tridentini, eo quod hic expertus sit religiosus austeritates integro anno, & assumpto novitiatus habitu: at cessat in casu particulari. Quod non satis esse, ut obligatio legis cesset, communis & verior habet sententia. Et ita haec sententia est valde probabilis, eamque sustinet Navar. lib. 3. conf. 11. de regul. in 1. edit. conf. 5. num. 17. & in 2. conf. 26. n. 17. & in 19. Manuel 2. tom. sum. c. 5. n. 2. Et colligitur, ex Palac. 4. dist. 27. dist. 2. col. ult. immediate ante vers. Argum. autem, ubi ait, si dicamus professionem conjugati absque conjugis licentia factam, fuisse nullam, dicendum subinde esse oportere ad ejus ratificationem novitiatum iterari.

Posterior sententia (cui tanquam probabiliori adhaereo) 47 ait eum novitiatum iterandum non esse. Ducor, quoniam matrimonium semel contractum coram parochio & testibus, irritum tamen ob impedimentum occultum, non est necessario in parochio & testium praesentia iterandum: & id non propter Pii V. declarationem, sed ex ipsa Copeil. Trid. sess. 24. c. 11. de matrimonii petenti ad ejus valorem praesentiam parochi, & testium, intentione. Quia ex ratione ejus defecti id nunquam exultum fuit ad hujusmodi matrimonium. Ratio enim ejus decreti fuit, ut matrimonium confaret Ecclesiae, vitarenturque peccata ex clandestinis nuptiis pullulantia, quae in his matrimoniis, quae jam fere Ecclesiae confiterentur, & reputantur valida, nunquam locum habuit: ac proinde nec decretum de illis locutum est, (ut haec omnia probavi lib. 2. dist. 37. n. 3. & 7.) Sed idem propterea contingit in hoc eventu. Nam dum Trident. sess. 25. de reg. cap. 15. decrevit annum novitiatus praemittendum professioni valide, eo spectavit, ut faveret & monasterio &

illi monacho; illi quidem, ut mores religiosi experiret, huic autem, ut austeritatum religionis experientiam fumeret, ut experte dicitur c. Ad Apostolicam, de irregular. Quae ratio in hoc eventu nunquam locum habuit, nam vere professus ille post habitum susceperat expertus est plene religionis austeritates, instar aliorum novitiorum, & religio illius mores. Cum ergo ratio illius illius decreti a sui initio hunc casum minime comprehenderit, utpote in quo reperitur omnino finis iudicandi anni novitiatus, nec casus hic ab initio in eo decreto est comprehensus. Praeterea, quia si jus antiquum consulamus, ratificatio hujus professionis nullatenus indigebat novo novitiatu, ut constat ex cap. Cum virum, c. Significatum, de regular. & cap. 1. cod. tit. in 6. At jura iuribus constare oportet, & quanto minus fieri poterit, eorum decretio est inducenda, cap. Cum expediat, de elec. in 6. & l. 1. c. de iust. doctibus. Praeterea, quae Sorbus in compend. privilegiorum mendicantium, verb. Novitius post 2. notabile, s. Sed an requiratur integro annus, defendit religiosum professum transentem ad aliam religionem non indigere iterato novitiatu, eo quod aupertates religionis expertus sit: & ita explicat decretum Trident. cap. 15. petentis novitiatum intelligi de saecularibus ad religionem transuentibus, eisque statum minime expertis. Quod valde confert ad hoc, a fortiori enim censeret in hoc casu non esse iterandum novitiatum, in quo religiosus ille jam expertus est austeritates religionis, in qua professionem ratificat. Eius tamen doctrinam minime approbo, sed censeo religiosum professum transentem ad aliam religionem indigere novo novitiatu anno in illa, ut professio valeat, quod bene tradunt Navar. l. 3. conf. 1. de regular. in 1. edit. conf. 3. n. 5. & conf. 49. n. 4. in 2. conf. 61. n. 4. & conf. 62. n. 5. & conf. 77. n. 4. Emman. Sa sum. verb. Religio, nu. 35. Manuel 2. tom. sum. c. 6. concl. 10. nu. 10. Et ratio est, quia debet experiri austeritates religionis, quam profertur: & ea religio mores ipsius, quod fieri possit, ac passim valde certis, cuidam instituto aptissimum, alteri ineptum videri esse. Pro nostra etiam sententia est Azor l. 12. instit. moral. c. 1. qu. 6. S. Si querat, ubi professionem conjugis absque alterius licentia factam, dicit fatam ac alter moritur, ratificari. Sentit ergo non esse opus iterari novitiatum: cum tamen conjugatus absque conjugis licentia sit prolix inhabilis ad ingressum: & scriptis post Tridentinum.

48 Et credo non esse iterandum novitiatum, quamvis publica esset nullitas professionis & novitiatus, ob proxi infirmitatem. Quia licet in matrimonium, quod jam publice est irritum, fiat necessario iteranda verba coram parochio & testibus: at in ratificatione petentis professio non est eadem ratio. Quia finis Tridentini, petentis ad matrimonium valorem praesentiam parochi & testium, non servatur quatenus publice constat, prius matrimonium coram illis celebratum fuisse nullum: non enim tunc conditio petentis praemitti professioni annum novitiatus, nimirum experiri austeritates religionis, ac ipsius religiosi mores, ob impedimentum occultum, sive ob publicum.

49 Ex dictis deducitur primo professione existentem irrita defectu aetatis, ut quia ante 16. annum completum emissa est, contra decretum irritans Trid. sess. 25. de regul. c. 15. non esse necessarium ad ejus ratificationem annum novitiatus iterari. Ratio est, quia attempto jure communi, (ut videtur supponi in Clem. Eos, de regular. juncta Gl. verb. Aetate,) desideraretur, ut in femina XII. annus, in maribus XIV. ut legitime mitti quisquam posset ad religionem, at verus novitiatus admittitur esse, donec eam expleat, ut bene docent D. Ant. 3. p. tit. 16. c. 3. S. 2. Rosella verb. Novitius n. 9. ubi Angel. n. 1. Tabien. n. 2. qu. 1. Armilla n. 1. S. 1. Religio 2. qu. 12. & Religio 5. qu. 1. Ant. Cucus l. 3. instit. majorum tit. 1. n. 66. & seqq. Et ratio est, quod annus ille novitiatus jure concessus sit ad austeritatum religionis difficultates experientias, inter quas supremum locum obtinet castitatis obervantia, cujus diffcultatem impoberes minime sentiunt. Nec id correctum est per Trid. sess. 25. de regul. c. 15. Solum enim professionem ante decimum sextum aetatis completum factam irritat: quare non interdidit incipi, & compleri novitiatum ante eam aetatem sexdecim annorum. Ut bene tradunt Navar. l. 3. conf. 11. de regular. in 1. edit. conf. 30. n. 1. in 2. conf. 30. n. 1. Ebrigi. l. 13. de excomm. c. 4. n. 2. in fin. Azor lib. 3. instit. moral. c. 4. qu. 9. Emman. Sa sum. verb. Religio, n. 21. Sorbus in compend. privilegiorum mendicantium, verb. Novitius, notabil. 4. a quo tamen cavendum est, in quantum ait hoc esse correctum per motum proprium Sixti V. cujus n. 30. meminimus, ubi statuit, nullum 16. annis minorem ad religionem admittendum esse. Sed deceptus est, quia Sixtus V. id minime statuit, sed majores 16. annis admittendos minime esse, non praemis morum & vitae ipsorum informatione. Ex quibus omnibus constat valere omnino novitiatum post pubertatem inceptum, & impletum ante decimum sextum annum. Cam igitur novitiatus ille professioni praemis fuerit omnino validus, nulla indiget iteratione. Et hujus sententia, est aperiens Navar. l. 3. conf. 11. de regular. in 1. edit. conf. 46. n. 2. in 2. conf. 27. num. 2. ubi ad ratificandam professionem ante legitimum aetatem factam, solum petit ut completa aetate professus ille priorem professionem ratificet, non mutata Thom. Sanchez de Matrim. Tom. II.

prioris religionis voluntate acceptandi. Quamvis idem Navar. n. 51. allegandus videatur clare oppositum sentire.

Secundo deducitur, non esse iterandum novitiatum, quod 50 non fuerit praemis anno integro professioni: sed sufficit professionem illam ratificari completo tempore, quod deerat illi anno. Quia nullum vitium in novitiatu interdidit, nec quicumque refert illum expletum esse profertorem habitu assumptum. Et videtur expresse supponere Palacios 4. d. 38. dist. 1. col. 33. fol. 324. pag. 1. in fin. quamvis Navar. n. seq. allegandus videatur clare oppositum sentire.

Tertio inferitur, existente professione nulla ratione metus, non esse opus intentione anni novitiatus. Quia vere religio admittit hujus novitii consentit, & ipse novitius voluntatem habuit ingrediendi ad experientiam, licet coactionem: nec jus canonicum irritavit hujusmodi novitiatum, sed solum professionem. Nec est eadem ratio de ingressu in novitiatum ac de professione. Quippe haec semel valida dissolvi non poterat, nec injuria illata restitui: quod seculus se habet in novitiatu. Praeterea, quia annus ille est ad experientias austeritates religionis, quas non minus, sed magis experitur, qui metu ingressus est. Et hoc credo verum, quamvis Navar. l. 3. de conf. tit. de regul. in 2. edit. conf. 89. num. 5. videatur clare oppositum sentire, ait enim eum, qui professionem emittit validam ob aetatis aut anni integri novitiatus defectum, aut quia metu professus est, non censeri tacite prosteri, nisi postquam fecit professionem esse nullam, persistat integro continuo anno in religione, animo ratificandi illam.

Quarto inferitur eum professio valore caret ratione inhabilitatis perpetuae profertentis, si impetrata dispensatione habilis effectus velit priorem professionem irritam ratificare, necessarium esse repeti integrum novitiatum annum, juxta priorem sent. nu. 46. relatum: quam ibi valde probabiliter dixi. Quia cum ille fuerit inhabilis, defuit consensus in recipientibus, & licet illi revera concilii impedimenti consentirent receptioni in novitiatum, defuit potestas valide consentiendi: defuit etiam validus novitii consensus, utpote qui incapax erat. Ad validum autem novitiatum desideratur consensus novitii & religionis, sicut & ad validam professionem, ut bene docet Navar. l. 3. conf. 11. de regularibus in 1. edit. conf. 5. n. 17. in 2. conf. 26. n. 17. At juxta sent. quam n. 47. amplexi sumus, non est necessaria novitiatus iteratio, propter rationes ibi propositas.

Quinto inferitur, quando non extat statutum a Pontifice confirmatum efficiens inhabilem professum tegetem morbum vel aliud vitium notabile, licet admittis non esset eo cognito, nec professionem nec novitiatum iteranda esse, sed fuisse valida. Ut si quis morbo gallico laborans co tacito recipitur in religionem, nullatenus eo cognito admittendus, non existenti statuto praedicto inhabilem eum reddenti, valeret professio, nec hic teneretur egrediendi licentiam petere, sed solum de culpa admittenda dolere, & tamen Navar. statim allegandus mortalem esse putat. Posset tamen Religio ipsum in poenam culpae sic admitti expellere. Ita docent Navar. lib. 3. conf. 11. de regular. in 1. edit. conf. 25. numer. 2. & 3. in 2. conf. 48. num. 2. & 3. Manuel 2. tom. sum. cap. 6. n. 3. Sorbus in compendio privilegiorum mendicantium, verb. Novitius, post 7. notabile. S. Quinto principaliter, Vega 2. tom. sum. cap. 50. casu 4. Et posse hunc expelli docet etiam Emman. Sa sum. verb. Religio, num. 34.

Sexto inferitur, quod dicendum sit, quando professio fuit 54 nulla defectu non praemis informationis a Sixto V. quando major sexdecim annis profertur, & in novitiatum ingreditur, petita? Pendet enim quaestio ex cognitione, an ex eo defectu reddatur non sola professio, sed etiam admittit ad novitiatum irrita. Placuit enim quibusdam junioribus, utrumque irritari. Et ita retenta hac sententia dicendum esset juxta probabilium opinionem numer. 46. relatum, iterandum esse novitiatum, tanquam irritum. Secus juxta nostram sententiam, num. 47. positam. Ducuntur autem ad sententiam, irritari quoque novitiatum, quod Sixtus V. in priori motu proprio, s. Ceterum quoniam, hos non aliter recipi posse, nisi praemis informatione statuerit. Quae negatio, adjuncta verbo posset, reddidit eam omnino nullam, ut probavi lib. 7. dist. 38. num. 20. Et paulo infra idem Sixtus V. sic ait: Si quis eorum contra nostram institutionem admittitur, tam susceptio habitus quam professio nullius valoris existat. Et ita tenet Sorbus in compendio privilegiorum mendicantium, verb. Novitius, notabil. 4. Sed verius est non irritari novitiatum, sed solum professionem. Quia ea verba motus proprii, ut non possint praedicti recipi, nisi praemis informatione, intelliguntur de vera receptione, quae per professionem fit. Id enim est potissimum receptionis significatum: & praeterea, cum verba poenalia sint, ac juris antiqui correctoria, sunt utique restringenda. Eo vel maxime, quod in cod. s. Ceterum quoniam, paulo inferius, agens de informatione praemittenda receptioni majorum sexdecim annis, sic ait: Plena & indubitata fide facta, tam superioris generalis, vel provincialis, quam diffinitorum consensu approbati, & ad habitum regularem admitti fuerint. At habitus regularis vere est habitus professorum, per quem verus religiosus quisquam efficitur: Et verba, quae inferius subiungit proxime relata, quae clare irritant professionem & novitiatum, aperte intelliguntur de pro-

SUMMARIUM.

de proximo membro in eo motu proprio relato, nempe, de criminosis, ere alieno gravatis, aut reddendis rationibus obnoxios, quos proxime ad religionem perpetuo inhabiles reddiderat: ac proinde novitatum & professionem decidit esse nulla. Quod si dicas, clausulam in fine positam ad omnia præcedentia referri. Ad præcedentia eos inhabiles non admittendos esse: nec 16. annis majores abque informatione. Dic clausulam in fine positam tunc ad omnia præcedentia referri, quando in omnibus illis eadem subest ratio, (ut probavi l.6. disp.22. n.19.) quod aperte hic deficit. Quia illi criminosis, & ere alieno, ac reddendis rationibus gravati, erant effecti in eo motu proprio inhabiles perpetuo tam ad novitatum, quam ad professionem: & ideo utrumque causam fuisse Pontifex declarat: ad majores 16. annis nullo eo vitio laborantes, sunt ad utrumque habiles: unde non est, cur novitatus irritetur, si postea informatione facta non reperiantur inhabiles. Quare valere eum novitatum sustinet *Manuel 2. tom. c.4. n.7.* concludens, si aliud vellet is motus proprius, non esse eum receptum quoad hoc: sed solum ut dicta informatio professionem antecederet. Ex his ergo consequens est, ut ad ratificandam professionem eorum, qui post 16. annos habitum novitatum receperunt, & nondum præmissa informatione sunt professi, non desideratur iteratio novitatus, quia prior fuit legitimus. Sed satis erit, ut facta informatione professio rata habeatur.

55 Imo quando illegitimi, non ex sacrilegio aut incestuoso concubitu nati, recepti sunt non præmissa dicta informatione, existimo novitatum fuisse validum. Atque ita *Manuel n. preced. allegatus* loquitur indistincte. Quare præmissa postea informatione, quam petunt Sixtus V. & Gregorius XIV. in suis motibus propriis, non erit necessaria iteratio novitatus. Ducor, quia Sixtus V. in suo motu proprio, s. *Quoad reliquos vero*, solum irritat professionem eorum, ibi: *Si quis autem eorum alius quam ut presertur, recipitur, professio similiter nulla sit.* Et licet statim jubeat habitum privandos, ac expellendos: id tamen intelligi debet, nisi velint præmissa informatione denuo profiteri, inventis qualitatibus per eos motus proprios petitis. Si autem ex incestu vel sacrilegio geniti sint, tunc existimo novitatum fuisse irritum. Quia Sixtus V. in eo motu proprio, s. *Ne igitur contingat*, expresse dicit susceptionem habitus & professionem horum irrita esse. Et Gregorius XIV. non omnino correxit hunc motum proprium, sed tantum decrevit, ut præmissa quadam informatione capaces essent. Ergo ea non præmissa, judicandum quoque est, habitus novitatorum susceptionem irritata esse, juxta prioris motus proprii decisionem. Quare sustinendo priorem sententiam relatam n.46. repetendus est novitatus, ut possit professio ratificari: ad terentia nostra num.47. id opus non est.

56 Ultimo inferitur, quod quando professio fuit nulla defectu veri consensu proferentis, ut fide professus sit, eum non indigere novitatus iteratione, ut si ratificet professionem: & hoc juxta utramque opinionem. Quia cum ingressus sit veroprobandi animo, nullum in novitatum vitium reperitur. Quod si ficto animo ingrederetur, solum ut religionem illud indiget, ut diximus n.52. Quare juxta primam sententiam, iterandus esset ad ratificandam professionem, Secus juxta nostram sententiam.

57 Tandem si quis veller priorem opinionem amplectens iterare novitatum, ut vel sic tutior esset ratificationis professionis valor, esset facile remedium, ne cum infamiae nota repereretur, sub figillo confessionis vitio superiori detecto, petere ut ipsum denuo admittat ad novitatum peragendum inter ceteros professos, habitu eorum gestato. Quod si non sufficit consensus prelati ad novitatum admissionem, sed desideret simul conventus consensus, potest petere prælati conventus suffragia, tacito professi nomine, & explicata prioris professionis nullitate. Vel potest, ut id necessarium non sit, ac conscientia pæcetur, impetrari secreto Pontificia dispensatio novitatum luppens.

58 Ad argum. n.46. proposita resp. Ad i. dicit, Sicut matrimonium coram parochio & testibus, irritum propter aliquod impedimentum occultum, non dicimus esse omnino nullum, est enim validum quoad præsumptionem Ecclesiæ ignorantis impedimentum, & sic non judicatur de illo ac si omnino factus non fuisset, quoad iterandum solemnitate parochi & testium, sed solum quoad iterandum contrahentium consensum; ita eum novitatum non esse omnino irritum, sed quoad hoc, ut ille coram Deo non fuerit novitatus venet privilegium novitorum gaudens: ad fuisse validum quoad eum effectum, ut vere expertus sit religionis austeritates, & religio experta sit ejus mores, qui est finis anni novitatus, & proinde is iterandus non sit ad ratificandam professionem. Ad 2. constat ex dictis n.47. ubi non defendimus novitatum iterandum minime esse, eo quod cæset in hoc casu finis decreti Trid. sed quia finis illius decreti nunquam hunc casum comprehendit, ac subinde nec decretum ipsum. Quam differentiam in exemplo matrimonii ibi adducto latius explicavimus, & probavimus lib.2. disp.35. n.3.

Ut ratificetur professio irrita, opus est, ut professus novitatem professum fuisse irritam, & velit ex tunc valere, n.59. Quando professus erat habilis, ac professio fuit irrita, defectu consensus proferentis fide, an exigatur, nova novitatus acceptatio, ut professio illa rata habeatur? 60. Quid, quando professio fuit nulla ratione motus, 61. Quid, quando professus erat inhabilis sive perpetuo, sive temporaliter? Referuntur duas sententiae, n.62. & n.63. Proponitur sententia Auditoris, 64. Traditur medium ut absque nota habeatur nova acceptatio, 65. An sint ceremonie solite adhiberi in professione repetenda, 66. An possit hic professus retinere locum, & reliqua privilegia sua antiquitati correspondentia? Referuntur quædam sent. 67. Proponitur Auditoris sententia, 68. Post n.68. invenitur summaria, que desiderantur.

Questio VII. An ad ratificandam professionem irritam de qua 59. consideretur novus consensus ipsius professi, novaque acceptatio superioris religionis, præcedente in utroque scientia nullitatis prioris professionis: ac fide repetendæ ceremonie: ratificataque professione possit ille professus retinere locum, ac cetera privilegia antiquitatis prioris professionis irritæ correspondentia? Et ut a notioribus incipiamus, manifestum est, ad veram prioris professionis irritæ ratificationem, & ut ea convalescat desiderari, ut professus sciens fuisse nullam, ad eamque minime obligari, eam ratam habeat, volens ut ex tunc efficax ac firma sit. Quare quantumcumque tempore exercet actus quocumque professorum, ac professionem ratificet ignorans illius nullitatem, ea non vires retinet, nec is verus professus efficiatur. Quod late probavi, similibus quibusdam adductis, l.1. disp.16. n.7. & l.2. disp.36. n.3. & similiter ob eandem rationem dixi aliquibus DD. allegatis hoc 7. l. disp. 6. n.9. non censeri ratam haberi ordinem metu assumptum, per ipsius exercitium dum exerceat latet ab se ad ordinem observantiam non allicitum esse. Et ita colligitur ex *Cater. 2.2. q.189. ar.5. paulo post princ.* Et docet *Navar. sum. c.12. n.71. & comment.4. de regular. n.74. s. advertendum quarto, & l.1. confil. in prima edit. tit. De his que vi. confil. n.8. & l.3. tit. de regul. confil. n.15. & l.18. confil.39. n.4. & confil.35. fin. & confil.37. n.2. & confil.44. n.4. & confil.96. n.1. & in 2. edit. l.1. tit. De his que vi. confil. n.8. & l.3. tit. de regular. confil.18. fin. & confil.23. n.2. confil.27. n.4. & confil.26. n.15. & l.18. & confil.29. nu.1. & confil.28. fin. & confil.34. n.4. & confil.89. n.3. & s. Azor l.12. instit. moralium, c.4. qu.7. Sorbus in compendio privilegiorum mendicantium, verb. Novitatus, notabil.4. Grassi l.p. decis. l.3. c.5. Manuel 2. tom. sum. c.5. n.2. & c.8. concl.4. n.5.*

Tota autem difficultas est, an desideretur quoque nova 60. monasterii acceptatio? Et cum possit proferens esse habilis, & ex alio defectu, ut consensus, aut ratione metus, prolassio sit irrita: aut quia inhabilis est. Quando professus erat habilis, ac professio fuit irrita defectu veri consensu, eo quod fide professus sit: an sit necessaria ad ejus ratificationem, nova quoque acceptatio superioris consilii nullitatis prioris professionis: pendet decisio ex simili questione, in matrimonii carnali: nempe an contracto matrimonii inter personas habiles, quarum altera fide consentit, ut id matrimonii convalescat, sit quoque necessarius novus consensus alterius conjugis, qui legitime consenserat. De qua l.2. disp.32. Et cum sit probabile requiri novum consensum alterius conjugis: (ut ibi num.8. probavi,) similiter dicendum est, esse probabile desiderari novam monasterii acceptationem, cognita prioris professionis nullitate. Ad cum ibi n.9. tanquam probabilis fecerit simus, non exigi novum consensum alterius conjugis, cujus consensus fuerat legitimus: ita in presenti verius est, quando professus erat habilis ad profitemdum, utpote qui nullo vitio dirimentis laborabat, & anno professionis expleto, legitimamque ætatem adeptus, fecit professionem, ac irrita tuit professio ex defectu consensus fide ipsius, non desiderari novam religionis acceptationem, sed satis esse, ut ipse professus vere consentiat, licet interne, & quocumque tempore transacto, dammodo superior, qui professionem acceptavit, non revocari consensum. Quod latius probavi d. disp.32. n.9. & l.4. argumento deducto ex matrimonii carnali in quo multos DD. id asserentes allegavi. Et id expresse tenet in professione *Enman Sa in sum. verb. Religio nu.23.* ubi ait, professionem eam ratam effici consensu proficis superveniente. Et id supponunt *Angles Floribus 2.p. ubi de voto, qu. un. art.1. diff.4. & Manuel 2. tom. sum. c.92. concl.5. n.5.* ubi inquit teneri hunc secreto proficis si nequeat abque scandalo fugam arripere. Et a fortiori id docent DD. num. seq. citandi.

Idem censendum est de eo, qui metu cadenti in vram conflatem professus est, cum alias esset habilis. Cum enim nullum vitium in consensu acceptantis interfuerit, sed ex parte sua firmus & validus existerit, satis est, ut ea professio irrita convalescat, accedere liberi proficis consensum, quo sciens nullitatem prioris velit eam ratam habere, quod etiam proba-

probavi l.2. disp.32. n.14. Et probatur ex *c. Ad id, de sponsal.* ubi deciditur matrimonium obijetum irritum, valorem retinere per spontaneam passi cohabitationem, nec sit mentio novi consensu alterius conjugis, qui sponte sua illum præstitit. Et tenent expresse in professione *Navar. lib.3. tit. de regul. in priori edit. confil.24. n.1. in posteriori, confil.50. n.1.* At probe quoque est contrarium, nempe desiderari novum consensum superioris, ut dixi n. præced.

62 Gravior autem difficultas est, quando neuter consensus fuit legitimus, ratione inhabilitatis proferentis ad profitemdum, five inhabilitas sit temporalis five perpetua, ut quando expleto novitatus anno, vel ante sexdecim annos completos, emissio fuit. In quibus eventibus omnino casatur professio in Trid. sess.25. de regular. c.15. & est illegitimus tam consensus proferentis, quam monasterii acceptantis: sicut quando matrimonium est clandestinum, consensus utriusque conjugis in matrimonium est omnino irritus ratione inhabilitatis temporalis ad sic contrahendum inducitur per *Trid. sess.24. de matrim. c.1.* Similiter quando professio facta est a quibuscumque filii illegitimis, vel a legitimis majoribus sexdecim annis juxta motus proprios Sixti V. & Gregorii XIX. quorum memoriam disp. hac nu.30. Consistit ergo difficultas in hoc, an postquam cessavit impedimentum, ut quia jam expleta est ætas, aut integer annus novitatus completus est, vel informatio facta est: vel si fuit impedimentum perpetuo inhabilitans, id cessavit per Pontificiam dispensationem, ut ea professio irrita convalescat, satis fit novus consensus professi, vel desideretur quoque nova religionis acceptatio scientis nullitatem prioris? Et loquendo de impedimentis, quæ ad tempus reddunt inhabilem quempiam ad profitemdum, qualia sunt defectus ætatis, & integri anni probationis, *Navar. l.3. confil. tit. De regular. in 1. edit. confil.35. n.3. & confil.46. n.2. in confil.27. n.2. & confil.28. n.3. & Grassi l.p. decis. l.3. c.5. nu.24.* asserunt sufficere ut convalescat professio, ratificationem ipsius professi abque nova superioris receptione. Idque probat *Navar.* eo quod professio ob metum irrita fide ratificatione ipsius professi vires retinet. Et faciunt pro eadem sententia *Manuel 2. tom. sum. cap.8. concl.4. n.5. & Sorbus in compendio privilegiorum mendicantium, verb. Novitatus, notab. 4.* ubi ajunt professionem irritam insaturari, si proficis nullitatis professionis consensus eam ratam habeat. Idemque asserunt omnes hi DD. quando informatio in illegitimos receptione, aut legitimum majorem sexdecim annis, non præmissa est, cum id quoque impedimentum sit ad tempus inhabilitans, nempe, donec informatio præmittatur. At de impedimentis perpetuo inhabilitantibus censent oppositum ipsimet *Navar. Palacios, & Manuel*, quos n.46. retuli, dum in eo casu petunt iterari novitatum, nedum id dicent de nova ad professionem admissionem.

63 At in contraria sententia est *Azor l.12. instit. moralium, c.4. qu.7.* ubi agens de eo, qui ante annum novitatus expletum professus est, ait desiderari, ut ea professio firma reddatur, superiori consensum nullitatis prioris professionis ipsam denuo admittere: atque subinde idem dicit de omnibus aliis impedimentis, five perpetuo, five ad tempus inhabilitantibus. Et vere est ratio urgentissima pro hac sententia. Quia eadem est ratio de matrimonii carnali, & de spirituali quoad hoc: utrumque enim contractus est mutuo desiderans traditionem unius, & acceptationem alterius. At ut matrimonium irritum ob contrahentium inhabilitatem convalescat, necessarius est novus utriusque consensus scientis prius matrimonium fuisse nullum, ut latissime probavi l.2. tota disp.35. & seq. Ergo idem est in ea professione. Et consimiliter. Quia ideo id contingit in matrimonio, (ut ibi probavimus) quod neuter consensus est validus fuerit, utpote qui in personam inhabilem ferebatur, & manente ignorantia nullitatis prioris matrimonii. novus consensus non præstatur ad id denuo celebrandum, sed solum ad validum existimatum ratum habendum, ac proinde uterque consensus, ut a principio desiderabatur, est renovandus cognita nullitate, ut vel licet animus sit denuo inveniendi matrimonium. At hæc ratio omnino militat in professione, ut quæ liberum proferentis, & recipientis, consensum desiderat: & prior fuit utriusque omnino irritus, & tanquam præstitus circa personam inhabilem: & si durante eadem ignorantia ratificetur a superiori professio, ea ratificatio non est nova acceptatio, qualis desiderabatur ut denuo inciperet efficax esse, sed est confirmatio præcedentis, quæ nulla erat. Requiritur ergo novus utriusque consensus cognito prioris professionis vitio. Et amplius confirmatur, quia non minus desideratur ad valorem professionis traditio proferentis, quam acceptatio superioris, utrumque enim est de ejus essentia. Imo potior pars essentia est acceptatio, quæ est forma traditionem percipiens. Si ergo secundum omnes (ut nu.59. diximus) ut ea professio irrita reviviscat, exigitur nova traditio proferentis consilii nullitatis prioris professionis, cur non idem censendum erit de nova superioris acceptatione? Et ita hanc sententiam amplius sum. l.2. d.35. n.4. ubi dixi idem dicendum esse, quod de matrimonio. De quo dixi eod. l. disp.36. n.4. multo probabilius esse desiderari novum utriusque consensum cognita matrimonii prioris nullitate. Ad dixi nu.8. non esse adeo improbabile oppositum, quin quando grave damnum timeatur, possit amplecti sententiam asserens non opus esse intimari alteri conjugis, prius matrimonium esse nullum.

At quamvis præcedens sententia conformior, tutior, & ac probabilior sit, existimo esse probabile, & tutum in praxi, quod *Navar. & alii citati n.62.* existimant, nimirum, non esse opus nova acceptatione ipsius religionis, sed satis esse, si professus ille subdito jam impedimento, & consensu nullitatis professionis, ratificet. Nec discrimen invenio, si impedimentum ad tempus live in perpetuum inhabilitet. Eadem enim est ratio, nam tam inhabilis est eo tempore, quo professus impedimento temporali inhabilitatur, quam est perpetuo, dum impedimentum est perpetuum. Ducor, quia quamvis negari non possit, desiderari novam acceptationem eum scientia nullitatis prioris professionis. At ea habetur a Pontifice c. *Significatum, de regular. & cap.1. eod. tit. in 6.* dum ibi decernunt Pontifices, professionem irritam defectu legitimæ ætatis convalescere pro ipsius proficis ratificationem, vel delationem annuam habitus professorum. Atque proinde Pontifices, ut paci ac tranquillitati religionis, & ipsorum religiosiorum consulerent, tanquam supremi religionum generales acceptantur professionem illam, per solam ipsius proficis ratificationem. Et confirmatur, quia *Trid. sess.25. de regular. c.19.* tractans de professione irrita defectu ætatis, vel quocumque alia ex causa, præsumit eam ratificari per taciturnitatem quinque anni, exercendo actus professorum, & gestando eorum habitum: ac proinde claudit reclamandi aditum: (ut diximus num.9. & 16.) & hoc absque religionis novo consensu, & scientia nullitatis prioris professionis. Ergo supponit Ecclesiæ nomine religionis acceptare. At per hoc cessant objectiones in contrarium adductæ num. præced. Est enim diversæ ratio de matrimonio, (ut bene dixit *Petrus de Lesdesina de matrim. quest.45. art.3. in solutione ad ultimum,*) nam Ecclesiæ non potest acceptare matrimonium nomine alterius conjugis. Non potest etiam supplere consensum & traditionem ipsius proficis, ut professio reddatur valida (ut probavimus hoc lib.7. disp.34. num.16.) At potest professionem nomine religionis acceptare, quod fit supremæ generalis omnium religionum. Sed objicies, sicut induxit professionem tacitam, per quam ratificaretur prior professio irrita: ita & consensum tacitum, per quem prius matrimonium, metu initum convalescit, nimirum ex divina habitatione præsumptum, c. *Ad id, de sponsal.* & ita nulla videtur discriminis ratio inter matrimonium & professionem. Sed dic id fecisse Ecclesiam in matrimonio, personarum habitum, quod nullum erat ex vitio extrinseco existenti in altero conjugis solo, ad cuius ratificationem non erat necessarius novus utriusque conjugis consensus, sed solius metum patris: ut etiam contingit, quando alter fide consentit. At quando conjux erat inhabilis, est necessario utriusque consensus innovandus (ut differentiam hanc explicui lib.2. disp.32. num.9. & disp.36. num.2.) Quare cum Pontifex nequeat supplere alterutrum conjugis consensum, non potest inducere novum tacite aut expresse ratificandi modum, sine scientia utriusque conjugis, & tacita aut expressa voluntate amborum ratificandi. Sicut potest in professione supplere religionis consensum, ac nomine ipsius etiam renitentis, nedum ignorantis, acceptare: statuendo (ut statuit in textibus allegatis) professionem irritam convalescere per solus proficis ratificationem.

Quod si quispiam professus, ut tutius suæ conscientie 65 provideat, velit adesse novam acceptationem, facile uti potest eo medio, quod nu.57. proposuimus, ad iterandum novitatum. Et ne forte superior, nolens eum profitemdum, consensum revocet, prius ipsam ratificet: quod juxta opinionem probabilem nu. præced. relatum satis est: vel non proponatur superiori religiosus, sed tacito nomine proponatur casus per interpositam personam.

Id tamen fatendum est, ut travis sententia complexa, cæ-66 remonias solemnes ex regulæ præscripto, aut consuetudine adhiberi solitas in professione, non esse repetendas. Cum non sint de ipsius substantia, & semel jam adhibita sint; eo vel maxime, quod non possent abque nota iterari. Et in simili de matrimonio quod fuit irritum, & occulta dispensatione habita ratificatum, non esse repetendas nuptiarum benedictiones, in matrimonio priori irrito adhibitas, probavi lib.2. disp.37. numer.13. & in propriis terminis hujus professionis docet *Azor lib.12. instit. moral. cap.4. quest.7. sine,* & clare videtur sentire *Navar. leg.3. confil. tit. de regular. in 1. edit. confil.46. num.2. in 2. confil.27. num.2.* dicens non oportere, ut hic denuo publice proferatur.

Tandem merito dubitabit quispiam, an hic professus 67 possit tuta conscientia retinere locum, ac cetera privilegia, antiquitatis prioris professionis irritæ debita? Ratio dubitandi est, quod ex tempore ratificationis incipiat esse verus professus, ut ex se constat, & docet *Navar. leg.3. confil. tit. de regul. in 1. edit. confil.46. num. ultim. in confil.27. num. ultim.* ubi etiam tetigit hanc difficultatem, sed brevissime, & de fide sola antiquitatis debita egit, dixitque posse ea gaudere, quando bona fide putaret se professum, & supervenienti mala fide ratificavit, argumento multorum, quæ de effectibus bonæ fidei, & de evitacione scandali, & de rei modicitate adduci possent.